





0397.

27  
1714, 5.

Q. D. B. V.

CONTROVERSIAS  
QUASDAM CIRCA

SUCCESSIONES  
AB INTESTATO QUOAD  
ASCENDENTES ET  
COLLATERALES,

PRÆSIDE

VIRO *Nobilissimo, Amplissimo,*  
*Consultissimo atq, Excellentissimo*

DN. JOHANNE HENRICO  
FELTZIO,  
J.U.D.& Juris Canon. Prof. Publ.  
Celeberrimo,

*SOLENNI Ventilationi*

proponit

FRANCISCUS JOSEPHUS IGNATIUS MÜNCKH,  
Guebovillanus.

horis locoque consuetis.

*Ad diem Augusti Anno M DCC XIX.*



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS BECKIL







## PRÆLOQUIUM.

**S**uccessiones ab Intestato tam frequentes sunt, ut illarum cognitio non nisi utilis esse possit; quapropter quasdam hic Controversias circa ascendentes & collaterales exhibeo, enixè rogans æquanimos & lectores & auditores, ut omnia

A            mnia

omnia ista pro humanitate sua & ingenii mei modulo interpretari velint.

QUÆSTIO I.

*An de Jure communi ascendentes succedant soli exclusis defuncti germanorum liberis?*

**A** Cris est de hoc casu inter Doctores Juris Civilis contentio, si quis decedat, relicto aliquo ascendente & simul quoque fratris sororisve prædefunctæ filio solo, non concurrente alio fratre sororeve superstitite, an solus ascendens succedat, an quo-

quoque defuncti fratris filius vel filia?  
 si defunctus una cum ascendente relin-  
 quat germanum, germanamve & ex  
 aliis germanis prædefunctis filios, dubi-  
 tatio jam soluta est ex *Novell. 127. pr. &*  
*c. 1.* per quam Imperator correxit *No-*  
*vell. 118. c. 3.* ubi fratris filii excludeban-  
 tur, si defunctus reliquisset ascenden-  
 tium aliquem, fratres & fratrum præ-  
 mortuorum filios. Sed hic casus aliter  
 se habet, cum defunctus non præsup-  
 ponatur reliquisset fratrem sororemve.  
 Non hic tangamus, quod parentes sint  
 in linea recta; quod ardentior in illos  
 liberorum affectus, quam erga fratres;  
 quod deficientibus liberis cursu morta-  
 litatis everso turbatove quasi ordine na-  
 turæ ratio commiserationis parentes ad  
 bona prædefunctorum liberorum ad-  
 mittat. *l. 6. ff. si tab. test. null. ext. l. 6. ff. de*

*f. dot.* quod bona debeantur in compensationem educationis sumptuum; quæ omnia non in fratres, ut taceamus fratrum filios, quadrant; Videamus tantum sensum *Novell. 127. c. 1.* Evidens est, hanc *Novellam* esse correctoriam *Nov. 118. c. 3.* in qua cum ascendente defuncti ejusque fratre non admittebantur fratris defuncti filii. Motus dein est Justinianus, ut illos admitteret in hoc casu expresso, *si quis moriens relinquat ascendentium aliquem & fratres . . . . & alterius præmortui fratris filios cum ascendentibus & fratribus, vocentur etiam præmortui fratris filij.* Constat autem ex Analogia Juris *arg. l. 14. ff. de LL.* & alias correctoria esse stricte interpretanda, neq; ultra expressionem contra mentem Legislatoris extendenda. Cum itaque in *Nov. d.* non ponatur casus, ubi quoque

que concurrunt defuncti fratres, revolandum est ad Jus alias extans, quo defuncti fratrum filii sunt exclusi. Scimus etiam cæteroquin, quod concursus fratrum fratrumque præmortuorum filiorum & casus defuncti solorum fratrum præmortuorum filiorum extantium varia inducat Jura, cum in primo casu vocentur in stirpes, in altero in capita.

Haftenus proposita quamvis non sint susque deque habenda, nobis tamen affirmativa magis arridet fundata in ratione communis æquitatis. Tralatitium est, *scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem l. 17. ff. de LL.* Evenit hoc hic quoque, cum saltem mentem sapientissimi Legislatoris nostro asserto favere sufficiat Nihil validi ex silentio *Novella* concluditur, Etenim non

A 3      *possunt*

possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut senatusconsultis comprehendere, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni praest, ad similia procedere, atq; ita jus dicere debet. l. 12. ff. de LL. Cum ergo germani horumque liberi semper eodem jure, eodem favore censeantur, hoc praecipue debet valere contra ascendentes, qui plane inverso ordine succedunt, unde etiam defuncti germanorum filii soli excludunt omnes ab uno latere defuncto junctos. Sicut itaque adversus hos ipsorum jus constat, quapropter non adversus ascendentes? firmat hoc praedictio *Philippi Usu Pract. Inst. l. 3. Ecl. 13. n. 5.* ita tamen cum ascendentibus concurrunt germanorum liberi, ut non portiones viriles capiant, sed jure representationis in locum defuncti patris transeant. *Stryck. tract. de success. ab intest.*

*intest. D. 2. C. 1. §. 30.* Cæterum sunt hæc intelligenda de Jure Romano Civili; nam mores hodierni receperunt, ut ascendentes præsertim primi gradus omnes collaterales etiam ipsos germanos excluderent. *Wesembec. in paratilis ad Pandect. de grad. n. 15. Philip. Us. Pract. Inst. l. 3. Ecl. 1. n. 6.*

## QUÆSTIO II.

*An justum sit, ut defuncti fratrum filij soli in capita succedant, non attenda stirpium ratione?*

CUM in Jure Civili multa reperiantur disposita, quæ non satis manifestam æquitatem spirent, qualia à DD.  
plu-

plurima annotantur, forte in hunc censum referri quoque potest illud, quod circa præsentem quæstionem Legislator Romanus sanxit. *Novell. 118. c. 3. ibi. Sed & ipsis fratrum filiis tunc hoc beneficium conferimus, quando cum propriis judicantur tuis masculis & feminis sive paterni sive materni sint.* Egerat ante de eo, ut succederent in stirpes cum suis patris & avunculis, ergo consequenter voluit, ne esset talis successio in stirpes, si soli existerent. Durum id esse videtur. Etenim defunctus absque dubio fratres suos æquali affectu existimatur habere, & consequenter cupere, ut ex suis bonis unicuique ordinario naturæ sensu tantum tribuatur, quantum alteri, hoc autem jus jam natum præmorientes fratres transmittunt vel transmittere saltem censentur in suos descendentes; quapropter

pter inde sequitur, successionem in stirpes magis convenire & ratione, naturali in amore fundata, & intentioni defuncti, si intestatus decesserit. Porro vix est tolerabile, ut in stirpes concurrant, si extent patrum vel avunculi, & si non extent, non concurrant, cum id ex mero accidenti dependeat, quo facile mors patrum contingere potuit aut non. Oportet autem jura certa ratione constituta esse, neque ulli fieri præjudicium; & non videmus, cur repræsentationis jus debeat minus valere in tam conjunctis collateralibus, quam in descendantibus? Par enim militat ratio in utroque casu, cum suo ordine frater quemlibet fratrem æqualiter diligat, quemadmodum pater filium quemlibet; Certe hanc dispositionem non adeo sua justitia & æquitate constituisse plurimisque querelis im-

B pugna-

pugnata[m] fuisse, patet quoque ex eo, quod necesse fuerit, ut *Carolus V.* in Comitibus Spirensibus *A. 1529*, peculiari constitutione promulgata, illam quasi demum legitimaret. *Rittershus. ad Nov. 118. p. 7. c. 13. n. 13. Brunnem. ad l. 5. § seq. C. de legit. her. verb. notandum. n. 4.*

Nos vero in patrocinium suscipimus *Novellæ* hujus dispositionem illiusque justitiam defendemus. Satis esset acquiescere in voluntate Legislatoris *l. 21. ff. de LL.* attamen eruamus rationem, quæ impulerit Legislatorem. Statim autem convincimur, aliam rationem esse descendendum in succedendo, aliam collateralium; in illis semper succeditur Jure transmissio, quia filius in bonis parentis adhuc viventis quoad legitimam saltem Jus certum habet. *§. 2. ff. de hered. qual. l. 7. pr. ff. de bon. damnat.* quod Jus præ-

præmoriendo transmissit in nepotem & sic semper succeditur in stirpes ; sed in linea collateralis, si defunctus fratres nullos reliquerit, reliqui succedunt Jure proprio, & suo, non translato & alieno ; quia frater in bonis vivi fratris nullum Jus habet, utpote cum per testamentum plane excludi possit, ergo nec aliquid transmittere potuit ; qui itaque in eodem gradu sunt, æqualiter admittuntur, id est, in capita, *l. ult. C. de leg. har.* Recte hinc Carolus V. hanc dispositionem vane ab ignaris juris impugnatam confirmavit. *dict. const.*

### QUÆSTIO III.

*An defuncti fratris unilateralis præmortui filius excludat nepotem germani*

B 2 de-

*defuncti à successione ab  
intestato?*

CAnon est notissimus, duo vincula  
fortius ligare & effectibus quoque  
Juris majoribus gaudere, quod quem-  
modum in plurimis legum dispositioni-  
busprehendimus, ita manifesto hoc  
se exserit in materia de successione ab  
Intestato, quæ præcipue à Justiniano ex-  
purgata, & in firmum ordinem redacta  
est per *Novell.* 118. & 127. Juxta has ita-  
que in præsentiquæstione videtur statui  
posse, germani nepotem excludere ab  
intestato unilateralis prædefuncti filium,  
si agatur de successione magni patru-  
i ipsius. Primo enim linea succedens præ-  
alia Juris intellectu in descendentes  
continuatur, adeoque hi semper tacite  
& legaliter habent Jus transmissum.

Porro

Porro Imperator in *Novell.* 118. c. 3. primos ad hæreditatem vocat fratres & sorores ex eodem patre & ex eadem matre natos, exclusis omnibus, qui ex uno tantum latere conjuncti sint. Mens itaque Legislatoris huc collimavit, ne admitterentur unilaterales, donec deficerent bilaterales; quod & ulterius confirmavit, dum germanorum filiis idem Jus concederet præ conjunctis ex uno latere *d. Nov.* Denique, cum, ubi agitur de favore, nomine filiorum aliquando etiam nepotes indigitantur, *filij appellatione*, ait Paulus *l. 84. ff. de V. S. omnes liberos intelligimus*, par est ergo, ut unilateralis filius excludatur per germani nepotem.

Nobis contraria fedet opinio nos fundantibus in simplici & plano intellectu *Novellæ prædictæ*, in qua notanter tan-

tum agitur de germanis, germanorumq;  
 filiis, qui propria & genuina significatio-  
 ne non continent, nisi liberos primi gra-  
 dus; nec hic est differentia facienda in-  
 ter bilaterales & unilaterales, horum  
 enim exclusio est restricta tantum ad fi-  
 lios germanorum. De cætero admit-  
 tuntur sicut alii conjuncti, de his autem  
 ita sancit Imperator in *Novella* 118. c. 3.  
*§. 1. si vero neq; fratres neq; filios fratrum*  
*defunctus reliquerit, omnes deinceps à la-*  
*tere cognatos ad hereditatem vocamus se-*  
*cundum uniuscujusque gradus prerogati-*  
*vam ut viciniores gradu ipsi reliquis pra-*  
*ponantur. Cujus tenorem auctor Auth.*  
*post fratres autem &*  
*auth. post fratres fratrumq; C. de legit. hered.*  
 unde sufficienter decisa est ista quæstio.

QUESTIO

QUÆSTIO IV.

*An mater naturalis filij excludat ejus fratres ex legitimo thoro?*

**N**Otissimum est, Jure Civili ante Novellas observato parentes tum demum defuncto successisse ac *non gratam hereditatem sed triste lucrum acquisivisse l. fin. C. commun. de success.* si ille non reliquerit fratres, hi enim præferantur parentibus defuncti. *d. l. fin. C. commun. de success. §. 7. ff. si tabl. test. §. fin. f. de legit. agnat. success. Wesembec. ad ff. 38. 10. 15.* deinde ascendentes Jure novo jussi sunt concurrere cum defuncti fratribus germanis *Nov. 118. c. 2. Nov. 127. c. 1.* Porro, cum lex sit correctoria propter strictam ejus interpretationis naturam,  
paren-

parentum vocabulum non est extendendum, sed intelligendum de parentibus legitimis; quapropter mater naturalis filii debet excludi per defuncti fratres ex legitimo matrimonio. Accedit matrimonii sanctitas & favor. Matres naturalium si præcipiuntur succedere, hoc fit in iis casibus, ubi non adfunt fratres ex conjugio defuncto juncti, cum non debeat ex delicto suo lucrum reportare per regulam communem. Hinc etiam jus Gallicanum plane excludit matrem à successione ab Intestato prælatis fratribus defuncti ex thoro conjugali.

Affirmativa tamen nobis nihilominus videtur anteponenda, cum quoad matrem ex analogia Juris, si quærat de successione ab Intestato, nullum habeatur discrimen, sive mater ex matrimonio-

monio, five ex concubinato, five ex fornicatione quaſiverit liberos; omnibus enim caſibus ſuccedit §. 7. *f. de SCio Tertyll. l. 2. pr. ff. unde cogn.* Porro certum eſt, parentes legitimos excludere à ſucceſſione defuncti fratres unilaterales; cum itaque mater talis in ſucceſſione gaudeat Jure matris legitimæ, excludet haud dubio defuncti fratres ex legitimo thoro, quia non obſtante hoc cenſentur tantum eſſe unilaterales, adeoque non intereſt, an illi fratres ex alio legitimo thoro nati fuerint, an vero etiam naturales ſint, ſemper enim pro uterinis reputantur, hi vero ab aſcendentibus excluduntur.

## QUÆSTIO II.

*An defuncti fratris unilateralis filius removeat nepo-*

C

tem

*tem ex defuncti germano  
fratre?*

**P**Rærogativa fratrum germanorum præ unilateralibus fontem haurit ex illo Brocardico, quod duo vincula fortius ligent *arg. §. 2. J. de adopt. §. 25. J. de R. D.* quare etiam in successione unilaterales fratres à germanis defuncti excluduntur per expressam sanctionem *Novell. 118. c. 3.* ubi ex utroque latere juncti præponuntur uterinis consanguineisque. Hæc ratio videtur quoque militare pro defuncti fratris germani nepotibus, cum pariter duplicitatem vinculi pro se habeant. Mens hæc Legislatoris fuit, qui noluit omnes recensere casus *arg. l. 12. ff. de LL.* sed illud judicis arbitrio & supplemento reliquit, ubi autem eadem est ratio, ibi debet idem Jus statui. Porro nul-

nullibi in Jure expressum est : ut unilateralium filii debeant anteferri bilateralium nepotibus, hinc magis est, ut pronunciemus pro similitudine rationum ex duplicitate vinculi. Denique in favorabilibus vox filiorum, qua utitur *Novell.* dicta, sub se continet quoque nepotes *l. 84. ff. de U. S.* hinc Jure Saxónico saltem nepotes germanorum concurrunt cum unilateralium filiis *Stryck. ad Compend. Laut. XXXVIII. 15. p. 845.*

Cæteroquin nos sensui genuino *Novellæ d.* inhaeremus, statuendo, germanorum nepotes excludi per unilateralium filios. Evidentissima mens Justinianæ dispositionis est, voce filiorum tantum significari liberos primi gradus, non ulteriorum *l. 6. ff. de test. tut. §. fin. §. qui testam. tut.* præsertim, cum nec fratres ger-

mani sint hæredes necessarii, multo minus eorum filii nepotesve. Hinc Legislator vocare potuit, quos voluit, ita autem definivit *Nov. 118. c. 3. §. 1. si vero neque fratres* (intelligit germanos, de quibus antea *in princ.*) *neq; filios fratrum defunctus reliquerit, omnes deinceps à latere cognatos ad hereditatem vocamus secundum uniuscujusque gradus prerogativam ut viciniore gradu ipsi reliquis proponantur.*

### QUÆSTIO VI.

*An unilaterales fratres recte à successione ab intestato excludantur per Germanos?*

**H**Anc dispositionem Juris multi DD. pro dura & iniqua agnoscunt.  
*Matt.*

*Mattheac. lib. 2. de via jur. c. 20. n. 21.* ubi simul annotat, Venetos ab illa iuste recessisse, consanguineum cum germano ad hæreditatem fratris communis admittentes, quod & statutis hujus Reipublicæ cautum est. Nam illa ratio, quod duo vincula fortius ligent, usum quidem in aliquibus articulis Juris habet, sed non absolute; nam certe quoad matrimonialia foror unilateralis eodem modo prohibetur jungi fratri, quam germana. Sufficit autem ad successionem in bona ex uno parente communem sanguinem trahi, quapropter sanctio *in Nov. 118. c. 3. pr.* aliquid iniqui in se videtur complecti.

Illam autem justam & rationabilem esse evincunt, partim natura affectus, qui ardentior in utrimque conjunctum

---

ctum, partim analogia Juris consistens  
in duplicitate vinculi, partim etiam ar-  
gumentum ex *f. Saxon.* quo unilateralis  
uno gradu remotior est germano *Co-*  
*ler. decis. 49. n. 7. § 8.* Reliqua ipsi  
conflictui occasione data  
reservabimus.


FINIS.



Strassburg, Diss. 1711-15

X 2310583





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.

CONTROVERSIAS  
QUASDAM CIRCA

27  
1744, 5

SUCCESSIONES  
AB INTESTATO QUOAD

ASCENDENTES ET  
COLLATERALES,

PRÆSIDE

VIRO *Nobilissimo, Amplissimo,*  
*Consultissimo atq; Excellentissimo*

DN. JOHANNE HENRICO  
FELTZIO,

J. U. D. & Juris Canon. Prof. Publ.  
Celeberrimo,

*SOLENNI Ventilatione*

proponit

FRANCISCUS JOSEPHUS IGNATIUS MÜNCKH,  
Guebovillanus.

horis locoque consuetis.

*Ad diem Augusti Anno M DCC XIX*



ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS BECKII

3

